



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XXXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

aeri impedimento, quin matrimonium cum illa contrahere possit; nisi prius ea fides Mediolani ab Archiepiscopo, in Diocesi verò à Vicario foraneo sit com probata.

Decretum. XXXIX.

CANONICVS qui in ædiu canonicalium ambitu domicilium habet, in quo honestè habitare potest, in eo habitet, cibum capiat, & dormiat.

Qui non paruerit, pro residente non habeatur; nisi Archiepiscopus facultatem ei concesserit alibi commorandi: sin autem idem in residentium numero nondum est adscriptus, poenam luat Archiepiscopi arbitratu.

Decretum. XL.

QVI dignitatem Canoniciatumve obtinebit, si examine primùm habito is probatus est, & idoneus ad id muneris iudicatus, quod illius dignitatis canonicatusve nomine præstare debet; in capitulum statim adscribatur; adscriptusque residentie fructus, ceteraque emolumenta percipiendi ius assequatur, illo abrogato faciendi per hebdomadam de eo periculi vsu.

Decretum. XLI.

DOMVS quæ diuersis parochialibus subest Ecclesijs, ei parochiali adiudicetur Ecclesiæ, in cuius parochia est ipsius domus ianua, per quam in eam frequentior est ingressus.

Quod si locus in quo est ianua, in vtriusque parochiæ sit finibus; ei subijciatur Parocho, in cuius parochia maior est illius domus pars. si verò domus ipsa eque in vtraque sit parochia, ei parochiali ad dicatur Ecclesiæ, quæ ipsi domui propior esse cognoscatur; nisi Archiepiscopo quandoque aliud decernendum aliqua ratione videbitur.

Decretum. XLII.

QVAE ad certos vsus pios sunt relicta, in alios etiam similes vsus ne conuertantur, ne necessitatis quidem prætextu, etiam si testatoris hæredes ei rei assentiantur; nisi Archiepiscopus re perspecta eam præstiterit facultatem, quæ iu-

re permittente ab eo dari poterit illius permutationis causa.

Decretum. XLIII.

QVAE alicui presbyterorum collegio relicta sunt, vt ab eo pauperibus in eleemosinam erogentur; neque in totum, neque in partem vniuerso illorum conuentui, neque alicui eiusdem consociationis clerico, ne paupertatis quidem prætextu distribuatur, nisi facultate scriptis ab Archiepiscopo impetrata.

Decretum. XLIII.

QVONIAM vsu compertum est, parochos plerosque, Litaniarum, & solennitatis Corporis Domini Nostri Iesu Christi tempore, absque magno suo suorumque Parochianorum incommodo, ad Præposituras in quarum finibus habitant, se conferre non posse, vt priori Concilio diocesano id ab eis faciendum esse statutum fuit: Idcirco vt ijs incommodis de opportuno remedio aliqua ex parte prouideatur, ij tantum parochi illis ipsis diebus ad Præposituras accedent, qui ante decreti illius promulgationem ad eas se tunc conferre solebant; & ij præterea, quibus à Vicario illius regionis singulis annis mandabitur, vt ad eas accedant.

Decretum. XLV.

NE vlla bonorum ecclesiasticorum locatio fiat, ne ad breuissimum quidem tempus, nisi Notarius rogatus de ea locatione instrumentum confecerit. Locator qui contrafecerit, arbitrio Archiepiscopi pleatur.

Decretum. XLVI.

IN eleemosina pro defunctorum officijs distribuenda id omnino obseruetur, vt nemini, qui duas tantummodo Missas, in eadem Ecclesia in qua officia sunt, pro mortuis celebrauerit, tantum detur eleemosinæ, ac si tres Missas ibidem dixisset; etiam si in alia Ecclesia pro anima eius pro quo officia habebuntur, se celebrasse asserat: sed tertia eleemosinæ pars ei subtrahatur, quæ vnicuique tres Missas in eadem Ecclesia tunc celebranda erit.

Eleemo-

In eleemosinam eroganda, ne alteri vsui adiudicentur.

Interpretatio decreti de conueniēdo ad præposituras in litanijs.

Dioc. 2. decre. 13. pag. 338.

Locatio bonorum eccles. sine instrumento ne fiat.

Eleemosina pro defunctorum officijs quomodo distribuenda.

Canonicus in ædib' canonicalibus habitet.

Canonicus approbatus statim fructuum pariceps sit.

Domus cõis cui parochiæ adiudicanda.

Res ad certos pios vsus relictae ne in alios vsus conuertantur.